



## PRÆFATIO.



Irabitur forsitan aliquis Lectorum, quod nunc demum, atque adeo, nimis sero, de *Cathedra Petri*, scribere & tractare, apud a-nimum constituerimus, siquidem, de *ista sede*, controversia ac traditio, obsoleta jam, & ad nauseam usque, repetita est. Accedit etiam hoc, quod *Matthias a Corona, Carmelita, Doctor Parisiensis*, (cui obviam ire, variaque opponere libuit,) dudum, diem supremum obierit. Verum enim vero, cum Pontificiæ Religioni addicti, & in imprimis isti sodales, qui Jesu nomen *αλόγως* profitentur, hodieque capita sua maxime, adversus gregem Christi Evangelicum, attollant, eoque, occasione quavis, adnitantur, ut sacra emendata evertant, Autoritatem Papæ illustriorem reddant, & Ecclesiam suam Romanam multis accessionibus adaugeant, itemque perpetuo ad *Cathedram Petri*, tanquam ad fundamentum Ecclesiæ, & ad fulcimentum Monarchiæ Ecclesiasticæ, Majestatisque Pontificiæ provocent, eamque supra modum objectent, crepentque, operæ pretium nobis visum fuit, hisce, *Cathedræ Petrinæ, apud Antiochenos Romanosque confraçtæ*, defensoribus dicam scribere decentem, idque simul adducere, quod statum Ecclesiæ doctrinæque diversum, non una luce, illustrare potest. Atque sic primum, de *libro Coronæ*, dispicere, consultum ducimus, quia adversarii, eodem, armamentarii patristici loco, uti assolent. Est quidem, apud

A

apud